



Lvdouicus filius fuit Ottonis ducis Bauariæ et Palatini Rheni. hic patre mortuo cum fratre Heinrico paternas ditiones diuisit, atq; ipse Palatinatum Rheni, & superiorem Bauariam obtinuit. Erat hic egregiæ uirtutis princeps, q; Maria, Heinrici Brabantiae ducis sororē, uxore ducta, suas ditiones fortiter defendit, atq; pro sua uirili pacem in Germania conseruauit. Nam post Friderici 2. Cæsaris mortem omnia tumultibus repleta erāt, dum plures Cæsares hinc inde per Germaniā eligerentur. Cum autem tandem anno 1273. Electores (qui tum primūm, iuxta Auentinum, à Gregorio 10. pō tifice instituti) Francoforti conuenissent, atq; suffragia inirentur, uariæ uoluntates fuere, nemoq; alteri cedere statuerat. Tandem ne respublica penitus discordia labefactaretur, placuit uni diligendi potestatem deferri. Proinde omnium consensu Ludouico huic noui principis potestas diligēdi offertur. Ludouicus quidem rem periculosa negabat. uerū cum acrius instarent, ipse Rodolphum comitem Habsburgensem elegit, atq; reliquis electoribus commendauit.